

CARMEN MOSIS,
DEUT. XXXII.

VERSIONE ET NOTIS ILLUSTRATUM,

EUJUS PARTEM PRIMAM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT,

JOHANNES POPPIUS,

PHIL. MAG.

ET

ZACHARIAS CYGNÆUS,

WIBURGENSES.

IN AUDIT. MAJORI DIE VIII MAI MDCCLXXXIV.

H. A. M. S.

ABOÆ,

Typis Viduae Reg. Acad. Typogr. J. C. FRENCKELL.

CARMEN MOSIS

DET. XXXII.

VERGILIANA DEDICATA ET AUCTA

ERULIA TATIANA BAPTISTAE

EGO QD. ANNA. EMILIA. T. M. C. X. 1700.

PER TOS. EXAKTUM. 1700.

JOHANNES PÖPPING

1700.

15

SACCHARIUS OYCINENSIS

ANNA. 1700.

DET. XXXII. 1700. T. M. C. X. 1700.

1700.

1700.

T. M. C. X. 1700. G. FRANCIS.



In illis, quæ nobis servavit Codex Biblicus, Hebraicæ poëseos speciminibus, & sublimitate dictio-
nis & styli magnificentia magnopere se commendat
canticum Mosis, quod fatidicum adpellari sivevit, &
Deut. xxxii. exhibetur. Ne autem gratis, soloque
nostro, cui diffidendum ingenue fatemur, gustu inni-
xi hoc dixisse videamur, acutissimo Reverendissimi
LOWTH, quem arbitrum hac in causa admittere ne-
mo fortassis recusaverit, iudicio nostram adsertionem
suffulciamus. Ita vero ille: *Qui propriam indolem ac*
genium elocutionis poëticæ apud Hebræos penitus perspe-
ctam habere velit, hos locos, (hoc scil. poëma & reli-
qua hujus libri capita, sed imprimis quatuor præce-
dentia, in quibus eadem, ac in hoc carmine tractatur
materia,) diligenter inter se conferat; videat quantum
interest inter genus illud orationis grande quidem, vehe-
mens, exaggeratum, sed simul ordinatum, fusum tractum-
que, & in illo impetu & violentia æquabiliter tamen pro-
fluens; & hos poëseos acres, incitatas & vibrantes sen-
tentias, sensibus elatas, verbis ardentes, compositione no-
vas, constructione varias; dum vatis animus hic illuc i-
dentidem sese proripit, neque usquam in uno loco situque
ccnstitit. (a) Atque ita fane est, ut quicunque hoc

A

car-

(a) *De Sacr. Poës. Hebr. p. 282. edit. Götting.*

* * 2 *

carmen diligentius examinare voluerit, facile inventiet, quantæ in illo sint sensuum elationes, quam vehementes affectuum impetus, imagines quam splendidae, quam audaces, & quam luminosis coloribus depictæ, figurarum quanta vis, dictionis & elocutionis quanta granditas & magnificentia. Fatebitur is omnino, hoc carmen spirare & redolere quiddam tam excelsum tamque cœleste, ut plane divinitus incussum videatur. Si vero sint, qui omnem Orientis poësin, adeoque & ob locorum linguarumque cognationem Sacram illam Hebræorum tantas non mereri putent laudes, sed eam potius horridam & incultam, quam sublimitatis elogio dignam censeant; his forte ab Eruditis, quorum in excutiendo diligentius hoc argumen-
to versata est industria, satis responsum esse arbitramur. Et meminisse profecto hos Censores oporteret, si harum litterarum peritia ipsimet non gaudeant, ex versionibus difficillime judicium ferri de virtutibus dictionis, quales in originario ipso exemplo, diversissimo ab hodiernis idiomate consignato, occurunt: suam videlicet esse omnibus linguis gratiam & proprium quasi colorem: suam porro verborum seriem & collocacionem ac sententiarum juncturam, quas si quis dissolverit, totam continuo distulerit suavitatem, totumque venustatis extinxerit lumen. (b) Cum vero præsentis carminis:

ea

(b) JONES Poët. Asiat. Comment. p. 3. Londini 1774.
Neque nobis adeo contrariatur D:rus DE VOLTAIRE
de poësi Orientali hunc in modum differens: Cependant.

ea & consilii & argumenti ratio Moysi fuerit proposita, ut Divino mandato & impulsu Cap. xxxi. 15 - 21. fata, quæ manerent Israëlitæ, sorte[m]que, quam experirentur infeliciorem præcineret; fieri aliter non potuit, quam ut stylum quoque & colores poëseos propheticæ studiose consecraretur. Præviderat Deus t. c. fore, ut, occupata ab illis terra promissa, tot et si illos jam ornasset beneficiis, tot periculis & angustiis eos eripuisset, sua tamen erga leges Divinas inobedientia initum violarent pactum, inque turpissimum idolorum cultum prolapsi, Dei veri penitus obliviscerentur. Hinc cum vi suæ justitiae ferre id non posset; illustri hoc carmine significatum voluit, se aliquando effecturum, ut pœnas, quas ingratissima sua defectio[n]e meruerant, darent certissimas. Ipsam quod adtinet ejus formam & structuram; illam apud Reverendiss. Lowht summa, qua solet accusatione & concinnitate expressam invenimus. *Exordium*, ait, *habet elegans & in primis magnificum, universam dispositionem & formam rectam, facilem, argumenti naturæ accommodatam, ordine pene historico: incredibilem rerum maximarum varietatem, Dei veritatem & justitiam, amorem paternum, & propensissimas erga populum electum benignitates: hujus contra animum ingratum & rebellum; tum*

A 2 *Divi-*

ils ont de beaux éclats de lumière, ils peignent avec la parole; & quoique les figures soient souvent gigantesques & incohérentes, on y trouve du sublime. L'Art Poëtiq. p. 529.

Divinæ indignationis ardorem & gravissimas minas ins-
gni prosopopœia expositas, qua nihil extat in leotissimis
poëseos thesauris magnificentius: ipsos tamen iracundiae
actus misericordia & lenitate identidem temperatos & in
promissionibus & consolationibus tandem desinentes (o);
quorum unamquodque suis, ubi illuc per ventum fuerit,
locis ostensum ibimus. Cum vero in Juvenilibus no-
stris, quas quam exiguae sint satis novimus, viribus
eam collocare non possimus fiduciam, ut materiei
granditatem exponendo assequi, tuoque, B. L. deside-
rio satisfaecere nos posse speremus; si tamen veniam
temerarii forsitan conatus meruisse videamur, erit de
quo magnopere nobis gratulabimur.

Vers. I.

הָזִינוּ חַשְׁמִים וְאֶרְבָּה
וְחַשְׁמָעַ חַלְאָ אֲרוֹדְפֵי

*Aures præbete cœli, dum loquar,
Et terra audiat verba oris mei.*

Continent hæc verba grande & excelsum exor-
dium, in quo Moses, adhibita insigni prosopopœia,
cœlum terramque obtestatur, ut ea, quæ dicturus es-
set, auribus haurire velint. Quod multis Interpre-
tum visum est, gravissimam hanc obtestationem in-
volvere minas, quibus indicetur, nec terram daturam
fru-

5

fructum, nec cælum pluviam demissurum ad ulciscendam Israëlitarum contumaciam, id, ut idonea ratione destitutum, misum jam facimus. (d) Qui vero terram & cælum hoc loco metonymice, pro eorum incolis & inhabitatoribus sumendum autemant, a quorum partibus stare etiam videtur CLERICUS in Comment. sententiam quidem illi tuerint majorem præ se ferentem veritatis speciem. Etenim lingua non modo Hebræa, sed & quæ demum cunque alia hunc metonymice usum patitur; & occurruunt etiam loca, quæ non nisi admissa eadem, explicari possunt. At juxta fateantur necesse est omnes, si hoc quoque loco metonymice hæc voces interpretandæ sint, omnem perire vim orationis, & concitatos, quibus animatur poësis, spiritus evanescere. Præterea satis constat Orientaliū Vates multo audaciūs, quam aliarum fere omnium, quas novimus, gentium totam in suas partes vocare rerum naturam, illique vitam & sensum tribuere. (e) Magniloquentiæ igitur Hebrææ affectus plenissimi

A 3

(d) Vide POLI *Synops. Critic.* & CRITIC. SACR. in h. l.

(e) Atque in hac audacissima figura mirifica illa & quasi magica poëseos vis unice elucet; & maxime apud Poëtas Asiaticos, qui eam frequentissime usurpant. Apud eos enim omnia vivunt, omnia animantur. Colloquuntur inter se flores, aves, arbores: - - - rident prata, canunt sylvae, lætatur cælum &c. JONES lib. cit. p. 168. conf. LOWTH lib. cit. p. 152.

nissimæ specimen potius habeatur, quod testium in-
star advocentur Divinæ in refractarium populum ju-
stitiae. Nec parum huic accedit majestatis, si locum,
ubi Moses hanc concionem habuerit, nobis repræsenta-
re velimus. In vasto enim jam oberrabatur deserto,
ubi nil, præter cœlum terramque, conspiciendum se
præbebat, quo demum cunque oculos conjiceret. (f)
Vos, itaque dicit, *Vos*, o cœlum & terra, ab omni par-
te patentes & apertos, justissimam Dei caussam acturus
obtestor. Parallelæ huic sunt plura in Codice Biblico
loca, in quibus vates sacri, justissima commoti indi-
gnatione, contra ingratum Dei populum hac conte-
stationis formula suas effundere solent querelas. Sic
Jes. 1. 2. שָׁמְעוּ שִׁמֵּים וְהַזֹּנוּןִי אֶרֶץ: *Audite cœli*, &
attende o! terra. Ibid. cap. xxxiv. 1. tota fere rerum
natura ad percipiendum excitatur: קָרְבָו גּוֹיִם לְשִׁמְעָה
וּלְאָתִים הַקְשִׁיבוּ תְשִׁמְעָה הָרֶץ וּמְלֹאתָה תָּבֵל וּכְלָה
צָעֲצָאִיה: *Accedite gentes ad audiendum, & populi ad-*
tendite; audiat terra, & plenitudo ejus; orbis & omnis
ejus propago. In exordio Psalmi l. depingitur Deus
in summa majestate adveniens & advocans הַשְׁטוּם
מַעַל וְאֶל הָרֶץ לְדִין עַמּוֹ: *Cælos ex alto & terram, ut*
judicio contendat cum populo suo. Et montes etiam col-
lesque, ut liti, quam quasi intentat Deus populo, in-
teresse velint, eadem adhibita figura, orat Propheta
Micha cap. vi. 1. 2. קָום רַוֵּב אֶת - הַהֲרִים וְתִשְׁמַעְנָה
הַגְּנָפָעוֹת

(f) J. D. MICHAËLIS Deutsche Uebersetz. des Alt.
Testam. in h. l.

הנפעה קולך: שמעו חורים את ריב יהוה אלהאנטינוס טוטרו ארץ: *Age, expone montibus litem, & audiant colles vocem tuam; audite montes litem Jēhovæ, & perennia terræ fundamenta.* Non absimiles sunt, quæ apud Poëtas Latinorum occurunt, cœli terræque invocationes, ut e. g. illud Virgilii Æneid. Libr. XII. v. 176.

Esto nunc sol testis & hæc mihi terra precanti.

Non igitur est, quod dubitemus, quin hic a Mose, poëtam jam agente, eadem plane sententia poëtico colore induita & exornata censeatur, ac illa, quam grande quidem & vehementer, sed simplici tamen profa oratione expressit supra cap. XXX. 19. הערתי בכם רוחם את - השמים ואות - הארץ *Cælum & terram* hodie contestor in vos, coll. capp. IV. 26. XXXI. 28. (g)

האוזן, verbum deductum a primitivo אוזן, *auris*, in omnibus dialectis obvio, plus aliquid in sinu gestare videtur, quam verbum עש, quod simpliciter *audiendi* habet notionem. Nec forte impeste dixeris illud respondere phrasibus התה אונים & הקשיב אונים *attendere, aures præbere, se quasi inclinando*, aut ut qua posteriorem Celeberr. SCHULTENS placet, *aurem emundando*, collato Arab. שפּר per ψ punctatum scripto, *nitidus fuit, emundavit.* Promiscue enim cum his ad-

(g) D. ROBERT LOWTH'S Jesaias neue übersetzt nebst einer Einleitung und christischen philologischen und erleuternden Anmerkungen, zweyter Band. p. 9.

adjungitur verbo שָׁמַע ad augendam quasi emphasin, adeo ut earum vice fungi videatur. Sic e. g. Jer. XIII.
15. שָׁמַעוּ וְהִאזְנוּ audite & attendite, quemadmodum Prov. v. 13. לֹא שָׁמַעֲתִי לֵאמֹר אָזְנוּ, non audivi, nec attendi, vel aurem meam adverti, & Job. XXXIII. 31. הַקְשֵׁב אַיּוֹב שָׁמָע - לִי plene tamen elatam habemus phrasin Jes. XXXII. 3. וְאָזְנוּ שָׁמְעוּם הַקְשֵׁבָנָה & aures præbebunt mundatas, qui audire debent.

In voce וְאָדָרֶת, particulam vav per dum translimus; sed poterit tamen eadem quoque ad analogiam linguæ, salva nihilominus scriptoris sententia, omitti, ut factum est in novo specimine Svecanæ versionis: *Akter uppå, ß Himplar, jag vil tala, nec non in versione Germanica, quam nobis exhibuit Ill. J. D. MICHAËLIS, quæ hoc modo habet: Märcet auf, Ihr Himmel, ich will reden.* Varius enim, quem præstat hæc vocula, usus neminem fugere potest, qui vel primoribus, ut ajunt, labris litteras Orientales degustaverit. (h)

Phrasis פָּרָא: *verba oris mei*, pro: quæ ego jam prolatus sum, verba mea, Hebraismum redolet. Frequentes admodum sunt idiotismi, quibus in cæteris inserviunt nomina *humani corporis membra designantia*, quæ, ubi in statu fuerint, ut ajunt Grammatici,

(h) Copiose hac de re agitur in GLASSII Philolog. Sacr. a JOH. AUG. DATHE. Tom. I. p. 595.

tici, *affixo*, s̄epissime nil nisi pronominum vice fungi videntur, ut Jes. LV. II. יְהוָה רַבְרוֹ אֲשֶׁר יֵצֵא מִפִּי: sic erit verbum meum, quod ex ore meo egreditur, h. e. quod loquor. Ibid. XLV. 23. יֵצֵא מִפִּי צְדָקָה, egreditur ex ore meo veritas, h. e. veritatem loquor, Ezech. III. 17. וְשָׁמַעַת מִפִּי רַבְרָה, ut audires ab ore meo verbum, pro: quod locutus sum. Eadem vero sine affixis posita, si ad verbum reddideris, durum nimis & coactum plenumque sonant, ideoque rectius omittuntur, ut e. g. Ezr. I. 1. וְרַבְרָה יְהוָה מִפִּי וּרְמִיה: verbum Jehovae per Jeremiah.

Verf. 2.

ירַעַף כְּמַתָּר לְקַחַי
חוֹל כְּתָל אַמְרָתָי
כְּשֻׁוּרָם עַלְוָדָשָׁא
כְּרַבְיכִים עַלְוָדָעָב

*Destillabit ut pluvia doctrina mea,
Descendet roris instar sermo meus;
Ut procellosa pluvia super gramen,
Ut pluvia tenuior super herbam.*

Sequitur jam metaphora a rore & pluviis deducta, quibus sermonem suum assimilat Moses. Crebrius Vates Orientales, quam Europæi comparationibus utuntur & translationibus, quas peculiari studio e rebus in primis naturalibus depromere solent. (i) Licet enim

B

(i) JONES lib. cit. pp. 2. § 141.

enim ex maxima illa, quam præstat tota natura, omnium rerum varietate & copia, omnes in universum poëtæ decerpere satagant suæ orationi lumina & colores; hi tamen ardenter velut & vividiori imaginandi facultate prædicti, similitudines suas ex intimis naturæ penetralibus arcessunt, easque rebus a sensibus remotis tanto ingenio adtemperant, ut non tam loqui aut canere, quam potius res ipsas pingere videantur. Hinc frequentes pluviarum imagines, quarum tanto major est venustas, quanto certius constat, in Oriente accidere, ut vere & aestate, flante per aliquot dies Euro, agri universi ita adurantur, ut vix quidquam virens supersit, rivi plerique & fontes exsiccentur, ipsaque pæne emori videatur natura. At imbre largo effuso, agri exspectatione citius mirum in modum revirescunt, & rivi redeunt, & dulciorem jam aquam fontes fundunt. Major itaque apud illos morientis naturæ tristitia, & reviviscentis luxuries non potuit non & vulgi animos & poëarum afficere. (k) Jucundissima igitur gaudentis naturæ imitatione ad doctrinas & sententias animos quasi rigantes, fœcundantes & recreantes hac imagine alluditur; cuius & ex Arabum monumentis hæc pauca attulisse sufficiat exempla. (l) ut Harir. Confess. 2.

אַלְוָכִיל וְאַלְטָל אַשְׁתָּקֵי

Rigari cupiebam ab imbre & rore, h. e. doctrinam & sapientiae præcepta expetebam. Et

(k) LOWTH lib. cit. p. 115. n. 22.

(l) Plura cui placuerit videre, adeat SCHULTENS Comment. in Job. p. 819.

Et Conf. 16.

אָנֹה אֶרְאָנְתָּךְ אַצָּב וְאָנְשָׁתְּמָר אַבָּ

*Hic sane cum dicit, scopum ferit, quumque rogatur
pluviam, largum fundit imbrem.*

Huc etiam quadrare videtur proverbium in sententiis Arab. Gram. Erpen. subjunctis obvium:

עַלְם בְּלֹא עַמְל כְּשַׁחַב בְּלֹא מַטָּר :

*Doctus sine opere, ut nubes est sine pluvia; h. e. doctus,
qui non studet prodeesse sua eruditione, similis est nubibus,
quaer pluviam non demittunt. Forte etiam tanto cum de-
lectu, ut ad hanc referatur translationem, adhibitum
est verbum נַזֵּל, quo saepius in Alcorano utitur Mo-
hammed, ad indicandam hujus libri divinam originem,
& optimam, quam in eo contineri jactat, morum do-
ctrinam, ut Sur. II. 3. **וְאֶלְרִין וְוָמִינוֹן בְּמֵא אֶנְזָל זָלְגָן:** qui credunt in id, quod demissum
est (pluviae instar) ad te, & quod demissum est ante te;
& Sur. XV. 10. **אָנָּא נַהֲן נַזְלָנָא אֶלְרָקָר:** profecto nos
demissimus admonitionem. Notat enim hoc verbum in
origine pluere, pluviae instar defluere & descendere; quam
ejus propriam vim servari videmus Sur. II. 21. **אֶנְזָל מִן אֶלְשָׁטָא מַא**
מִן & pluere fecit de cœlo aquam. Sed ut
ad Codicem regrediamur Biblicum, aliis quoque, præ-
ter hunc nostrum, in locis laudatam imaginem adhi-
bitam deprehendimus. Sic Job, Cap. XXIX. 22. 23. su-
am, qua olim gaudebat, facundiam depraedicans, &
aviditatem, qua ad sermones suos audiendos concur-
rere solebant omnes, commemorans, dicit: **וְעַלְיוֹמוֹ** **הַטְּ***

אָזְחַלְיוֹ בְּמִטְרָה לֵוֶה אֶתְנָפָךְ מִלְחָמָה: super eos stillavit sermo meus וְפִירָם פָּעָרוּ לְמִלְכָוָתָם & exspectarunt me tanquam pluviam, atque os suum diduxerunt ad pluviam serotinam. Huc etiam referendam ducimus comparationem Jesaiam Cap. LV. 10. 11. Nam sicut descendit pluvia, & nix de cælo; illucque non revertitur, donec irrigaverit terram, eamque fecundaverit & fecerit germinare; ut det semen serenti & panem comedenti: tale erit verbum, quod ex ore meo prodit; non ad me revertetur irritum, quin effecerit, quodcumque volui, & feliciter transegerit, quod ei mandavi. Quamvis enim non desint, qui gratiam divinam his coloribus a Propheta depingi putent (m); & negare non ausim, rorem & pluvias stylo Orientali ad designandam summam liberalitatem transferri solere, ut pluribus exemplis, iisque a lingua Arabica potissimum defumtis, ostendit Celeberr. JONES (n): ipse tamen contextus svadere videtur, ut efficaciam & vim verbi Divini, prophetiarumque certissimum complementum hac adumbrari imagine statuantur. (o) Huic quoque translationi tribuendum videtur, quod Prophetæ in Codice Biblico vocentur *stillatores* Ezech. xxii. 2. Mich. ii. 6. II.; siquidem eorum erat officium, ut populum docerent, & veritates Divinas animis:

eo-

(m) LOWTH l. c. p. 242. CRITIC. SACR. excepto GROTIO, qui a cæteris dissentire videtur.

(n) l. c. p. 131. unde etiam hanc Jesaiæ metaphoram ad *Divini Numinis infinitam beneficentiam & largitionem* ipse refert.

(o) JO. AUG. DATH. Proph. Major.

eorum instillarent. Hunc scilicet verbi נֶתֶן usum proprium esse probant phrases Arabicæ נְטַף אַלְלֵיל tota pluit nocte, נְטַף אַלְפָא effudit aquam & nomen aquam puram significans, a cuius significatu non ablutit Hebraicum נְטַפִּים, Job. xxxvi. 27. de stillis & guttis, quas fundunt nubes, adhibitum.

Verbum גַּרְעַ, licet non nisi sexies, præter hunc locum, occurrat, varios tamen & admodum diversos induit significatus; quorum quidem illum decollandi, decervicandi habemus Exod. xiii. 13. Deut. xxi. 4. 6. Jes. LXVI. 3., destruendi, diruendique Hof. x. 2., siquidem altaria decollare haud fatis congrue diceretur. Sed Deut. xxxiii. 28. ideam sistit roris stillantis, seu eandem ac nostro in loco tuetur. Arabicam si consulueris dialectum; invenies illud insuper ditatum esse notione cognoscendi & notum faciendi, quam & frequenter in Arabum monumentis occupat. Non igitur mirum, Interpretes multum se torsisse in conciliandis tot diversis unius vocabuli potestatibus, ad concentum facile non redigendis, nisi nomen עַרְך cervix, jugulum ceu primitivum adsumatur, unde cæteræ tanquam ex sua scaturigine, jubente sic usu, dimanarint. (p)

Quodnam pluviæ genus vocibus שְׁעִירִים & רְבִיכִים indigitetur, & quomodo fixa utriusque earum notio determinetur, non fatis Interpretes inter convenit. Quod prius adtinet nomen, putant sane non pauci, eo

B 3 signi-

(p) *Dissert. de primitivis Linguis. Hebr. Praef. Cœberr. CAROL. AURIVILLIO Upsal. 1779.*

significari tenuorem pluviam, quæ pilorum instar descendit, habito, ut patet, respectu ad nomen **שִׁלְעָס** *pilus*; quibus quoque adsentitur SCHULTZIUS, in suo Lexico vocem **שַׂעֲרִים** ut pluralis numeri a singulari **שֵׁרֶשׁ** *hirfetus*, *pilosus* deducens. At quicquid sit, difficultem tamen & nimis coactam hanc esse arbitramur eorum *etymologiæ* rationem; præsertim cum majori facilitate & naturali idearum similitudine ac analogia se commendet alia, qua ad שַׁעַר aut שַׁעַר refertur. Habetur vero utrumque verbum, collato Arab. שַׁעַר *percussit eum fervidus ventus*, in notione *horrendi*, *metuendi*, quin & per *tempestatibus* obrui & jactari procellis commode verti possit, ut Jes. LIV. II. Jon. I. II. 13. Zach. VII. 14. Job. XXVII. 21. Hinc etiam nomina שַׁעַרְה, שַׁעַרְה, & סְעֻרָה, *procellas*, *tempestates*, & turbines significant, ut Nah. I. 3. Jon. I. 4. Ps. LXXXIII. 16. Job. XXXVIII. 1. Ex his autem frequentissimo usu Biblico firmatis notionibus, facile eruitur, quam nomini שַׁעֲרִים tribuimus *pluvia* cum *vehementiori*, ut procellosa tempestate solet, *ventorum impetu cadentis* significatio. Præterea huic nostræ *etymologiæ* multum roboris accedit ex vetustis versionibus, quæ in Polyglottis habentur, ut e. g. ex LXX viral, quæ per ἄργειον, ex Chald. Par. quæ per רֹוחֵי מְטָרָא, *ventos pluvia*, & Syr. quæ per רֹוחָא *ventos* reddiderunt. Eandem porro assumisse videtur Ill. JOH. D. MICHAËLIS, qui in sua Germanica versione **Sturmwetter** habet, cuique fere consona est recentissima Svecana per *fuktigt våder* reddens. Sed contra voce רֹבִים tenuorem plus

pluviam, guttis densis, sed placide tamen *stillantibus de-*
 scendentem indigitari vero simillimum est. Verbi enim
 רַכְבָּה propriam vim in idea *spissæ compactionis & so-*
 liditatis sitam esse in suis *Commentariis* ad oculum do-
 eet SCHULTENS, ad Arabicam dialectum confugiens;
 quam si quoque Prov. xi. 14. xv. 22. xxiv. 6. ada-
 ptaveris, emerget sensus non modo facilis & perspi-
 cuus, sed & sapientissimorum quorumvis testimonio
 firmatus. Eundem hujus vocabuli sensum adopta-
 runt Veterum plurimi, quos illud & hoc loco & alibi
 per *stillas* & *guttas* interpretatos constat. Neque o-
 mni ratione desituta est observatio Clerici, qua mo-
 net, ipsam rei naturam hunc requirere utriusque no-
 minis sensum; siquidem experientia testetur, vehemen-
 tiorem illum, qui vi tempestatum & turbine ventorum
 ruit, imbrex, grandioribus herbis non modo non con-
 ducere, verum &, violentia sua universa diluente, in
 humum eas prosternere, & corruptioni tradere; cum
 contra idem ad restinguendam nascentis herbulae sitim
 aptior esse videatur. Quæ proinde opinio nobis eo
 magis arridet, quo exactius Vates Sacer hoc modo
 naturam sequitur, in cuius accuratissima imitatione
 præcipua est poëtarum Orientalium laus. Est etenim
 ad fidem maxime pronum, Mosen hac metaphora id
 egisse, ut non solum dictionis copiam adsequeretur,
 qua Dei justitiam celebraret, suamque, quæ pectore
 jam erumpebat, indignationem depingeret, verum
 etiam ut ad vim hujus carminis cœlestem alluderet,
 quippe quæ animos auditorum affici non tam optabat,

quam

quam potius sperabat, quæque vaticinum de futura
hujus populi conditione redoleret, coll. Jes. LV. 10. II.
Quæ copiosam vero in dicendo ubertatem, dignæ sunt,
quæ huic comparentur Poëtarum Græcorum Latino-
rumque metaphoræ ab imbris & torrentibus de-
sumtæ, ut illud Homeri Iliad. III. 222.

Επεια ηΦαδεσσιν εοικοσα καιμεργηνων

Verba pluvii procellosis similia.

Et Horatii laudes Pindari celebrantis Carm. Lib.
IV. Od. 2.

*Monte decurrens velut amnis, imbris
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo*

Pindarus ore.

